

### 9. **Chondrilla Albertoregelia** C. Winkl.

*Ch. perennis* e radice verticali pluricaulis; collo foliorum pristinorum vaginis dense obtecto; caulis adscendentibus vel erectis tenuibus ramosissimis glabris; foliis glabris, radicalibus e vagina latiuscula in petiolum attenuatis e petiolis brevibus in laminam lanceolatam vel linear-lanceolatam dilatatis; foliis caulinis sessilibus linearibus vel subulatis; capitulis glaberrimis cylindraceis in ramorum ramulorumque apice solitariis; involucri phyllis 5 interioribus lanceolatis margine angusto scariosis, calyculi phyllis 2—3 minimis subdeltoideis; achaenii teretibus striatis rostratis, rostro quam achaenium quadruplo breviore; pappi piloso candidissimo, achaenio subaequilongo vel longiore.

Habitat in Bucharae provincia Darwas. Ad ripas fluvii Wandsch altitudine 7000' Septembri mense anni 1881 nec non inter Sagridascht et Kalaichum altitudine 5—6000' Septembri mense anni 1882 cl. Dr. A. Regel collegit.

Plantae gracilitate eximia ab omnibus Chondrillis diversissimae caules 2—2,5 decim. altitudine vix superant, ima basi diametro 1 millim. ramorum diametro vix 0,5 millim. attingunt; folia radicalia 4—8 centim. longa 4—6 millim. vel ultra lata sunt; folia caulina inferiora 0,5—1 millim. lata longitudine inter 6 millim. et 4 centim. variant; summa multo breviora sunt.

Achaenii structura *Ch. piptocomati* Fisch. affinis, a qua tamen involucri phyllis 5 aliisque notis facile dignoscitur.

### 10. **Mulgedium longifolium** C. Winkl.

(*Eumulgedium* Boiss.)

M. perenne? caulis elongatis striatis glabris apice paniculato-corymbosis; foliis radicalibus desideratis, caulinis inferioribus subsessilibus runcinatis, superioribus sessilibus lanceolatis subruncinatis